



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 111. Tria Helvetiorum millia in prælio trucidata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

fuis sex Germanorum peditum millibus ^{Sæcul XVI.}
 Mediolano ad se advocabat, reliquas ^{A.C. 1522.}
 vero Fœderatorum copias in aciem col-
 locabat, dato negotio, ut signa inferen-
 tibus strenue resisterent. Jamjam Helve-
 tii, qui Gallorum stipendia merebantur,
 fossis colle tectis appropinquabant, sub-
 sistere tamen iussi, donec tormenta ac
 fossiles Navarrenses accederent, ac ip-
 semet Lescunus ad præstitutam statio-
 nem perveniret, ut postmodum uno eo-
 demque tempore duplex in hostem irru-
 ptio fieret.

§. CXI.

*Tria Helvetiorum millia in prælio
trucidata.*

Nihilominus Helvetii Gallorum mo-
 nita furdis auribus excipientes fos-
 sam, quæ obstabat, superare aggredi-
 untur, ut exteriorum illius loricam tran-
 scendere possent: cum vero toto corpo-
 re tormentorum ictibus expositi essent,
 priusquam fossam adorirentur, selectio-
 ris militiæ viros amiserunt, ceteris om-
 ni impetu in fossam irruentibus, quam
 cum adeo profundam experirentur, ut
 hastarum suarum cuspide vix aggeres
 attingerent, illam superare minime pote-
 rant, nihilo secius tamen mœnibus ob-
 versam fossæ crepidinem aggredi nite-
 bantur,

Secul. XVI.
A.C. 1522. bantur, aut foederati, qui per aggestæ terræ
foramina hostem irruentem sine discrimine conspiciebant, in eum tam certo ictu tormenta scloposque explodebant, ut nullus ferme globus vano conatu in humum innoxius caderet, adeo, ut rursus duo Helvetiorum millia cæsa fuerint, inter quos etiam numerabatur Albertus de Petra eorum Dux, præter quatuordecim Belli Præfectos animi fortitudine longe clarissimos. Pene immobiles steterant Helvetii, ludibriis eorum, a quibus occidebantur, exasperati, atque ægerrime ferentes, quod tunc nequidem per unius ex hostibus mortem suorum iacturam ulcisci possent, hinc diu in eodem vestigio stabant, donec præcipiti fuga locum sibi facerent.

§. CXII.

Bicocana Gallorum clades.

Ex altera parte Lescunus pontem, quem confecto circuitu aggredi decreverat, tam valide a Germanis pedibus per Sfortiam submissis munitum reppererat, ut tanto hostium numero resistendo impar ad Lautrecum fratrem suum sese recipere cogeretur, non sine magno qua militum, quam Ducum dispendio. Tantæ cladis causa exstitit utriusque Gallici agminis socordia; eorum